



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 123. Penes quos sit hos gradus litterarios decernendi & conferendi potestas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

cui præcipua. ff. de V. S. vel à Gallica voce *Bacche-
lier*, militem tironem, seu inferioris Ordinis nobi-
lem significante, ut *Besold. de studiosis. c. 6.* & *Du
Fresne in glossar. v. Baccalaurii*: eorum verò no-
mine veniunt, qui sui in scientia profectus primum
testimonium publicum sunt consecuti. Non pa-
riformiter ubique, quò ad studiorum tempus hic
gradus conferri solet. In pluribus Universitatibus
prævio examine creantur Baccalauri Artium & Phi-
losophiæ, absoluto primo anno Philosphiæ seu Lo-
gicæ, ad initium anni secundi, Baccalauri Theolo-
giæ sub finem secundi, aut initium tertii anni audi-
tæ Theologiæ.

3. Resp. Tertio: Licentiorum (qui est alter
post Baccalauratum gradus) appellatione cen-
sentur, quibus supremum in scientia aliqua (sive ea sit
Philosophica, sive Medica, sive Juridica, sive Theo-
logica) honorem seu gradum, ejusque insignia,
quando volunt publicè capessendi collata, publicè
est facultas seu licentia; quæ proinde non solum ju-
diciu de dignitate promovendi, sed & distinctum
literariorum gradum constituit supremo gradui, seu
Magisterio & Doctoratu affinem. Unde ab ali-
quibus quasi Doctores appellantur, *Besol. l. c. c. 8.*
Iterus de grad. Academ. c. 4. n. 10.

4. Resp. Quarto: Doctorum & Magistrorum
nomine confuso, etsi veniant indiscriminatim omnes
in prædictis Facultatibus suprema laurea donati, ex
usu tamen universitatum aliquarum ita distinguun-
tur, ut nomine Magistrorum in Universitatibus,
præcipuè Germaniæ, v. g. in Ingolstadiensi, Salis-
burgensi, Coloniensi &c. omnes tam in Theolo-
gia, quàm utroque Jure & Medicina supremum
gradum consecuti, ordinariè vocantur Doctores;
in Philosophia verò Artium Liberalium ac Philoso-
phiæ Magistri. Item in Parisiensi, Lovaniensi, Sal-
manticensi dicuntur Magistri, qui supremo illo ho-
nore in Theologia condecorati, alii verò in utroque
Jure & Medicina gradum supremum adepti vocan-
tur Doctores, *Besol. l. c. num. 7.* *Mendo. de Jure
Academ. l. 1. n. 292.* *Gl. in Clem. 2. v. Doctoratus.*

*Quest. 123. Penes quos sit hos gradus
literarios decernendi & conferendi
potestas.*

1. Resp. Primò: Gradus hos in scientiis sacris,
puta Theologia & Jure Canonico decer-
nendi, conferendique potestatem penes summum
Pontificem, uti & in disciplinis profanis, puta in Ju-
re Civili, Medicina, Philosophia penes Imperato-
rem, aliòsque Principes superiorem in temporalibus
non recognoscetes originaliter residere, ex eo con-
stare videtur, quòd potestas illa conferendi hos gra-
dus, qua pollet alii quoque inferiores, non nisi ab
illis supremis Principibus dimanavit: dum illi pote-
statem hanc tum certis personis, v. g. Comitibus
Palatinis, tum Collegiis, ac præcipuè studiorum ge-
neralium Universitatibus perpetuò concedere &
communicare contulerunt: quin & ipsi per se
contulerint, ut variis de super relatis exemplis testan-
tur *Besold. c. 9.* *Mendo. l. c. n. 73.* & à num. 360.
apud *Wiestn. h. r. n. 6.* ubi etiam rationem, cur
create sacre Theologiæ, & SS. Canonum Doctores
potius sit Apostolicæ, quàm Imperialis ac Regiæ,
alteriusve potestatis, hanc assignat: quòd discipli-
næ illæ, in quibus divini & ecclesiastici juris dog-
mata, sanctiones ac decreta per earum Professores
traduntur & explanantur, ex institutione & sine suo
sunt spirituales, quippe ordinatæ ad spiritualia, nempe
DEI cognitionem & cultum, fidei & justitiæ

Christianæ studium in fidelibus conservandum ac
promovendum, an marumque salutem.

2. Resp. Secundo: Non ubivis locorum hæc
potestas ad hos gradus promovendi inferioribus iis-
dem communicativè concessa: nam licet in qui-
busdam Universitatibus ea competat ipsis eorum fa-
cultatum Professoribus & Moderatoribus, quibus &
competit, Candidatos examinare, & pro eorum re-
ceptione approbare; in aliis tamen diversimodè ab illis ad
hanc collationem constituti à summis Principibus,
sic in Germaniæ Academiis Catholicis licentiam
concedit cujusvis Procancellarii, alibi, ut in Parisi-
na Cancellarius ipse, uti & eundem in Universitate
Dilingana publicè renunciassè utriusque Juris Do-
ctores, licet ipse Doctor Juris Imperialis non esset,
meminit *Wiestn. n. 9.* In Bononiensi gradus sup-
remos in omnibus facultatibus confert Ecclesiæ
majoris Archidiaconus, teste *Lenauder. de privil.
Doct. p. 1. n. 4.* In Salmantina Scholasticus, seu
Magister scholæ solus; testibus *Mendo. l. c. n. 171.*
& *Gonz. in c. quia nonnullis. h. r. n. 5.* apud *Wiestn.
l. c.* his non obstantibus, quòd hi ipsi promotores
gradu, ad quem promovent alios, insigniti non sint;
cum in collatione gradus Candidatus non approbe-
tur primum pro eo, sed aliorum Doctorum examine
& judicio approbatus, solummodo declaretur, &
insignium traditione quodammodo investiatur Do-
ctor, ut cum *Fabro in L. 2. c. de vet. jur. encl.*
& *Lenaud. Wiestn. l. c.*

*Quest. 124. Qualiter & quale promo-
tioni ad dictos gradus præmittendum
examen.*

1. Resp. Primò: Examen super scientia promo-
vendi, aut æquivalentem ei positionum ex
præcipuis facultatis partibus selectarum publicam,
& cum doctrinæ commendatione susceptam propu-
gnationem Magisterii, & Doctoratus collationi
præmittendam; constat ex usu & literis Apostolicis
& Imperatoriis, quibus potestas hos gradus confe-
rendi Universitatibus communicatur. Et ita qui-
dem, ut graviter peccent, qui Apostolicis aut Im-
perialibus rescriptis indulta sibi facultate abutendo,
gradus & honores literarios supremos sine ulla inve-
stigatione doctrinæ personis scientia omnino desti-
tutis, & non nisi, ut inquit *Purpuratus in L. 1. ff. de
eo, cui mand. n. 455.* in rubrica de edendo, & de ju-
ris & facti ignorantia versatis, quibus triti versicu-
li: *in codice medicè: in digestis nihil potestis, in
instituitis similes brutis: in novellis asellis: Examen
creamini Doctores: ô tempora! ô mores!* optimè
congruunt; in gravissimum reip. damnum, & di-
ctarum Facultatum turpem illusionem & prostituti-
onem temerariè conferre præsumunt; quin &
hominibus ignotis nunquam antea visis ad simplices
aut nummis armatas, eorum etiam absentium præ-
ces Doctoratus diplomata submitunt.

2. Resp. Secundo: Sed &, si instituat exam-
men, illud minimè perfunctorium & umbratile esse
oportet; sed rigorosum, prout exigunt tum Impe-
ratorum ac Cæsarum rescripta, quibus Comites Pa-
latini creantur, aut quibus dicta examinandi crean-
dive Doctores potestas committitur; tum ipsa reip.
necessitas, ne ex defectu virorum, quibus fidei &
religionis negotia, juventutis institutio, civium gu-
bernatio, Ecclesiarum animarumque salus pertra-
tanda, nec non quæstionum ac litium cognitio, de-
cisioque committitur, in summam confusionem ac
pericula adducatur. Atque ex his jam patet, quid
sentendum de Doctoribus dictis Bullaris, non in
studio-